



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. lii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

*Ex eodē,
cap. 11.* **S**I aliquis excommunicatus fuerit mortuus, qui iam sit confessus, & testimonium habet bonū, & non poterat venire ad sacerdotem, sed præoccupauit eū mors in domo, aut in via, faciant pro eo parentes eius oblationem ad altare, & dent redemptionem pro captiuis.

De eadem re. Cap. LII.

*Ex epist.
Leonis pa
pa, ca. 21* **H**orum causa Dei iudicio referuanda est, in cuius mortuū fuit, ut talium obitus vsq; ad communionis remedium non differretur. Nos autem quibus uiuentibus non communicauimus, mortuis communicare non possumus.

De furibus & furtis. Cap. LIII.

*Ex dictis
August.* **D**ixit dominus ad Moysen: Accipiat unusquisq; a proximo, & proxima uasa argentea, & aurea, & uestes, &c. Non hinc quisque exemplum sumendum putare debet ad expoliandum proximū, hoc enim Deus iussit, qui nouerat quid quemq; pati oporteret. Nec Israelitæ fecerūt, sed Deo iubenti ministeriū præbuerunt, quemadmodū quum minister occidit eum, quem iudex iussit occidi.

De eadem re. Cap. LIIII.

*Ex dictis
eiusdem.* **P**oenale est occultè auferre, multò maioris pœnæ est uisibiliter eripere. Auferre ergo nolenti, siue occultè, seu palam, habet præceptum suum. Furti enim nomine penè intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ. Non enim rapinam permittit, qui furtum prohibuit, sed sub furti nomine rapinam intelligi uoluit. A parte enim totum significauit quicquid auferatur.

De eadem re. Cap. LV.

*Ex dictis
Hierony.* **F**UR autem non solum in maioribus, sed in minoribus etiam iudicatur. Nō enim quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur: quomodo in fornicatione, non idcirco diuersa sit fornicatio, si mulier pulchra aut deformis, ancilla aut ingenua, pauper aut opulenta: sed qualiscunque illa fuerit, una est fornicatio. Ita in furto, qualiscunque quis abstulerit, furti crimen incurrit.